



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 43.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

ne necessarium non sit, humilitatis tamen, & mortificationis causa iniuriam feramus. Et hac quidem in re nobiscum consentiunt etiam sectarii, & anabaptistas confutant, ut Pileator in notis.

Ne resistatis malo. vindicta priuata est illicita. Confer Romanor. 12. versic. 19. Non vosmetipsi vlciscentes. & Leuit. 19. versic. 18. Ne vlciscitor. Deuteron. 32. versic. 35. Mea est vltio, ait Iehoua. quasi dicat: Non autem tua. Adhuc enim modum ex illo dicto rationi natur Paulus loco modo citato. Ex iisdem verbis cauendus hoc loco error Anabaptistarum: qui statuunt, administrationem iuris Christianis esse illicitam. Itaque iudicia & actiones forenses simpliciter damnant. At, inquam, non attendunt ad mentem Christi. Nihil enim aliud his verbis prohibere voluit Christus, quam vindictam priuatam & iniuriæ acceptæ retaliationem, cum quæ par pari refert, & malum pro malo reddit. Publicam autem vindictam quæ sit per magistratum aperte stabilit Spiritus S. per os Pauli Rom. 13.]

Addendum est etiam publicam vindictam prohiberi quæ cupiditate vlciscendi, ira odioque, non zelo iustitiæ, correctionis, & publicæ tranquillitatis appetitur. Hanc animi præparationem etiam in bellorum tumultibus Augustinus requisit, lib. 22. c. 75. & 76. contra Faustum.

§. 9. Quod vero Faustus contendebat bella Moisis crudelia, vel non iusta à Deo: vel si iusta essent, Deum illum bonum non esse, qui tam crudelia iubet: aut sane eum non esse, qui nunc vetat malo resistere. Augustinus lib. 22. cap. 76. dissoluit. Hæc esse in animi præparatione. Interim cap. 75. illud sanctis non obesse, cum Deo auctore bellum geritur. & cap. 74. Moïsem in illis non fauentem, sed obedientem fuisse. Nec Deus, inquit, qui iubebat ista, seuiebat, sed digna dignis retribuebat, & dignos terrebatur. Narrat vero ex Manichæorum libris seu historiam, seu fabulam, quæ huc pertinet, cap. 79. Ibi tamen legunt Apostolum Thomam, cum esset in quodam nuptiarum conuiuium peregrinus & prorsus incognitus, à quodam ministro palma percussus, imprecatur fuisse homini contumacem seuamque vindictam. Nam cum egressus fuisset ad fontem, vnde aquam conuuantibus ministraret, eum leo irruens interemit, manumque eius, quæ caput Apostoli leui ictu percusserat, à corpore auulsam, secundum verbum eiusdem Apostoli id optantem atque imprecantis, tantum intulit mensis, in quibus ipse discumbat apostolus. Quid hoc videri crudelius potest? Verum quia ibi, nisi tamen fallor, hoc etiam scriptum est, quod ei veniam in seculo futuro petuerit, facta est compensatio beneficii maioris: ut & Apostolus quam charus Deo esset, per hunc timorem commendaretur ignotis: & illi post hanc vitam quandoque finendam, in æternum consuleretur. Vtrum illa vera sit, aut conficta narratio, nihil mea nunc interest. Certe enim Manichæi, à quibus illa scriptura, quas Canon ecclesiasticus respuit, tanquam vere atque sincere acceptantur, saltem hinc coguntur fateri, virtutem illam patientiæ, quam docet Dominus, dicens: Si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram, præbe illi & sinistram: posse esse in præparatione cordis, etiam si non exhibeatur gestu corporis, & expressione verborum: quandoquidem Apostolus palma percussus, potius Deum rogauit, ut iniurioso homini in futuro seculo parceretur, in presenti autem illa iniuria non multa relinquere, quam vel præbuit serienti alteram partem, aut ut iterum feriret, admonuit. Tenebat certe interius dilectionis affectum, & exterius requirebat correctionis exemplum. Siue hoc verum sit, siue confictum, cur nolunt credere tali animo famulum Dei Moysen idoli fabricatores & adoratores gladio prostrauisse: cum & in eius verbis satis appareat, ita huiusmodi peccato cum veniam deprecatum, ut nisi impetraret, deleri se vellet de libro Dei.

§. 10. Quin & illud optime dictum ab Augusti-

no, lib. 19. contra Faustum c. 25. cum dicitur: Oculum pro oculo; non fomitem, sed limitem esse furoris. Tam vero illud quod antiqua dictum est, Oculum pro oculo, dente pro dente: quomodo contrarium habet quod ait lionem pro Dominus, Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis gredi vetat, percusserit te in maxillam tuam dexteram, præbe illi & alteram, &c. Quandoquidem & illud antiquum ad reprimendas flammæ odiorum, fauentiumque immoderatos animos refranandos, ita præceptum est. Quis enim tantundem facile contentus est reponere vindicta, quantum accepit iniuria? Nonne videmus homines leuiter lesos moliri cadem, sitire sanguinem? vixque inuenire in malis inimici vnde sauentur? Quis pugno percussus, non aut iudicia concitat in damnationem eius qui percussit, aut si ipse repercutere velit, totum grauius iustum hominem, si non etiam telo aliquo arrepto, pugni calcibusque sto iniurias contudit? Huic igitur immoderate, ac per hoc iniuste vltio vlciscuntur, lex iustum modum figens poenam talionis instituit: hoc est, tur, ut qualem quisque intulit iniuriam, tale supplicium pendat. Proinde oculum pro oculo, dente pro dente, non fomes, sed limas furoris est: non ut id quod solum erat hinc accendetur, sed ne id quod ardebat, ultra extenderetur. Imposita est enim quadam iusta vindicta, iustque debetur ei, qui fueris passus iniuriam.

VERSUS 43.

Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

Vers. 44. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos:

Vers. 45. Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos: ut sitis filii patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

QUESTIO I.

An veteri lege licuerit odisse inimicos?

§. 1. Mandatas Iudæis inimicitias quarundam gentium, vetita fœdera ex scriptura nouimus, ut Deut. 25. Exod. 23. Toties iubentur Chanaanæos occidere, non habitare inter eos. Hinc eo deuenerunt, ut existimarent, odia earum gentium sibi mandata. Et tandem illud: Diliges proximum tuum, restrinxerunt ad eum, qui beneuolus esset: Id enim ex eo constat, quia additur, Et odio habebis inimicum tuum. Quocirca Christus monet, non solos amicos, sed etiam inimicos diligendos. Hoc igitur caritatis præceptum, quod totum genus humanum amore mutuo deuincit, peruersa interpretatione ad sui generis homines, deinde ad amicos restringebant Pharisei. At in lege dilectionis omnis homo habendus est pro proximo. Nam si nos in Turcas & barbaros incidamus, vel bello capti, vel naufragio eieci, homines ab hominibus officia humanitatis exposcimus, quod ergo exhiberi nobis oportet, id præstare aliis debemus. Itaque nec regionis interuallum, nec idiomaticæ diuersitas, nec aliud quicquam efficit, ut non sit homo homini proximus. Imo natura gentes edocet, maxime esse detestabilem immanitatem, quæ in peregrinos & hospites fauit.

§. 2. Cum

MANUS CRITICÆ
IN
+ Euangelia
C. VI
18

Bella in
Chananeos
Iudæis mā-
data sunt.

Omnis ho-
mo homini
proximus.

Etiam in bello iusto odium est permissum.

§. 2. Cum decernitur bellum in gentem aliquam, imo mandatur bellum internecinum, quale mandatum est Moysi in Madianitas, Chanaanos, aliisque regibus contra eos, qui naturæ iura omnia violant; non tamen odium permissum est. Ratio firma, & ex natura rei ducta est. Inimici enim emendationem, ac felicitatem optare omnes tenentur, non interitum; quia eiusdem sunt consortes natura, & creaturæ Dei. Itaque quem ob facinorosa iudex per omnia, quæ in natura sunt tristitia, excatnificat, non tamen odisse debet, nec iræ suæ & sævitie, sed bono publico, iustitiæque fontium vitam impendere. Amare & eum debet miles, quem occidit, sed dolere, non posse nisi tam acerbo phar-maco desperatum malum tolli. Si enim in bellis, & iudiciis non ratio, & iustitia tantum regnent, sed odio quoque locus detur, nullus erit faciendi finis. Excruciare igitur & occidere hominem sæpe licet, imo aliquando necesse est, odisse, quem tormentis exagitas, gravissimum delictum est: nam & officina hippocratica per amicam medici manum interdum sævit, & pie sciendo amorem approbat, alioqui in lege etiam veteri imperata est inimicorum dilectio. Deut. 25. 19.

Odisse vitia, amare personam oportet.

§. 3. Odium inimici Iudæis permissum putat Augustinus lib. 1. Sermon. in monte c. 21. Quæ permissio non ita intelligenda est, ut sine peccato odisse licitum putemus; nam reuera non est adiaphorum, sed ex se, & natura malum odisse proximum. Vel igitur odium hoc explicandum est, ut sit vitiorum, non personæ, ut docet Augustinus lib. 19. contra Faustum c. 24. Vel sane ut externa signa fuerint, quasi odientium, internus vero affectus diligentis. Nam quod Augustinus sermon. 59. de odio diaboli interpretatur, morale est. Odisse ergo inimicum potes, quia iniquus est, amare quia homo est, oportet. Si ex officio damna inferas, animus sit amicus, ut etiam verbera sint diligentis.

§. 4. Dilectio itaque inimicorum à Deo præcepta est. Nam Christus iubet diligere, ut sumus filii patris nostri qui in cœlis est, non est igitur filius Dei, nisi qui diligit etiam inimicam. Sententia est Aug. Sermon. in monte, in 1. Ioan. tract. 8. in Psalm. 7. & lib. 1. de doctr. Christi c. 22. Quin hoc præceptum esse naturale constat. In Evangelio enim de moribus naturalia non caerimonialia præcepta traduntur, ita 1. 2. q. 108. art. 2. Est sane præceptum maxime naturale, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & quod vobis vultis facere homines, & vos facite illis. At vero odio esse alteri nemo desiderat, nec licitum est alienum odium appetere.

QVÆSTIO II.

An Theologi Scholastici doceant inimicorum dilectionem non esse præceptam?

Immanis, in doctores.

§. 1. Caluin. lib. 2. c. 8. §. 36. [Quapropter pestilentissima vel ignorantia vel malicia fuit, quod Scholastici ex præceptis de non appetenda vindicta, de diligendis inimicis, quæ & omnibus olim Iudæis tradita fuerunt, & tum omnibus in commune Christianis tradebantur, consilia fecerunt, quibus parere, vel non parere liberum esset. Eorum autem necessariam obedientiam ad monachos relegarunt: qui vel hoc vno simplicibus Christi anis essent iustiores, quod ultro se seruandis consiliis obstringerent. Et rationem assignant cur ea non recipiant pro legibus: Quod onerosa nimium & graua videantur, Christianis præsertim qui sub lege gratia. Itane Legem Dei æternam de diligendo proximo refugere audent? An tale in aliqua Leg. pagina discrimen extat: ac non magis passim illis occurrunt mandata quæ inimicorum dilectionem à nobis seuerissime exigant? Quale enim

est istud, quod esurientem iubemus inimicum pascere? eius boues & asinos errantes in viam dirigere, aut oneribus succumbentes subleuare? Belluine in eius gratiam beneficiemus, nulla in ipsum beneuolentia. Quid? An non æternum est verbum Domini, *Mihi vindictam, & ego rependam?* Quod alibi quoque explicatius habetur, *Non quaras ultionem, nec memor eris iniurie civium tuorum.* Aut hæc obliterent ex lege, aut Dominum legislatorem fuisse agnoscant, non consiliarium fuisse mentiantur.

§. 57. Et quid quæso, hæc sibi volunt, quæ ausi sunt insulso glossemate illudere? *Diligite inimicos vestros: benefacite eis qui oderunt vos: orate pro persequentibus vos: benedicite eis qui vos execrantur: ut sicut filii Patris vestri qui est in cœlis.* Quis non hic cum Chrysostomo ratiocinetur, ex tam necessaria causa probe constare, non esse exhortationes, sed præceptiones? Quid nobis amplius restat, ubi expungimur è numero filiorum Dei? At secundum eos filii Patris cœlestis erunt soli monachi, soli Deum Patrem audebunt invocare.]

Et com. in hunc locum: difficultatem huius præcepti ait fuisse, causam monachis, ut negarent præceptum esse. [Hæc quidem Monachis & similibus fabulis causa fuit, ut fingerent hæc fuisse Christi consilia, non præcepta, quod hominum vitibus metiebantur, quid Deo & legi ipsius debeant. Intem vero non puduit Monachos perfectionem sibi arrogare, quod seruandis consiliis ultro se obstringerent. Quam fideliter præstent quod titulo tenus usurpant, nunc dicere omitto. Quam vero de consiliis præceptorum sit insulsumque commentum, primo inde patet, quia non sine Christi iniuria dicitur fuisse ipsi in discipulis, non pro imperio mandasse quod rectum erat. Deinde plus quam insulsum est libera facere charitatis officia quæ ex lege pendunt. Tertio, dicendi verbum quod denunciare vel præcipere hoc loco significat, perperam pro consilium exponitur. Postremo diserte sancti quod necessario præstandum est, nullo negotio ex Christi verbis probatur, dum addit continuo post.]

Quam iuste Scholasticos ille accuset videamus.

§. 4. D. Th. 2. 2. q. 25. 8. Inimicos diligendos ait, Theologus quia Dominus dicit: *diligite inimicos vestros.* Non tamen diligendos, ut sunt inimici, hoc est, non est eorum inimicitia diligenda, hoc enim malum est. Diligendos quoad naturam in vniuersali, nec enim eum qui Deum & proximum diligit, posse excludere inimicum.

[Tertio, inquit, potest considerari, dilectio inimicorum in speciali moueatur motu dilectionis ad inimicum. Et istud non est de necessitate charitatis absolute: quia nec etiam moueri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate charitatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundum præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret: sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat, ut diligit inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis.]

Ita & 3. dist. 30. a. 1. & opus. 4. c. 8. addo Caietanum, aliosque Scholasticos omnes, ne vno quidem Deo excepto. Quo um concordans sententia est, Inimici inimicitiam, utpote rem malam non diligendam, inimicorum ita amandum, ut nunquam od. o habeatur, siue quoad naturalia dona, siue supernaturalia, siue personam. Immo ne demones quidem ut naturæ quædam sunt, & res Dei, in quibus eius potentia & iustitia refulget odio habendos. Non esse tamen opus ut speciali caritatis motu in illos feramur: nam id ne quidem

quidem in aliis diligendis requiritur. Omnes enim homines amo gen. tal dilectione, plerisque ignoto, itaque actu spe. c. ali. illos non diligo. Cum tamen id necessitas inimici requirit, singulariter eum diligendum, adiundumque. Cum vero eam necessitas non adest, vnumquemque ita animo comparatum esse oportere, ut necessitatibus & meritis inimici velit succurrere. Sine hoc animo neminem posse saluari. Hoc cum omni. s. doceant, nemo prorsus dissentiat, manifesta est calumnia Caluini, quæ orthodoxam religionem & doctores traducit. Mihi quidem perspicue for. t. Scholasticorum innumera multitudo id probare, verum in e. manifesta, quid opus est testibus? Proponam dumtaxat, quæ doctissimus noster Gregorius de Valentia habet in 2.2. disput. 3. de obiectis caritatis. q. 3. puncto 2. Secundo quaritur de circumstantia inimicitie, an scilicet ob odium & inimicitiam, quam proximus erga nos gerat, excusentur, quo minus teneamur illum ex charitate diligere. Et respondendum est etiam negative cum D. Thoma hic art. 8. & 9. & D. Augustino libro 1. de doctrina Christiana cap. 22. & tract. 8. in primam Epistolam Ioannis. & aliis Patribus ac Theologis communiter. Nam debemus erga inimicos etiam sic esse affecti, ut neque vnquam illos odio vero prosequamur, & cum necesse fuerit, actu quoque eos diligamus, & sique ex charitate beneficiamus: sed hoc ipsum est teneri nos ad eos ex charitate diligendos: Ergo tenemur illos ex charitate diligere. Minor patet ex dicto puncto precedenti in fundamento secundo.

Maiores quoad priorem partem probatur ex scriptura. Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis filii patris vestri, &c. Ex quibus postremis verbis apparet, in ea Christi sententia esse vim precepti. Nam ex precepto necessarium est, quod est necessarium, ut per gratiam simus Dei filii. Sicut etiam idem preceptum patet ex eo, quod ibidem ait: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Phariseorum & Scribarum, non intrabitis in regnum celorum. Inter cetera namque peruersas traditiones Phariseorum erat illa, quam Christus ibi corrigit, inquitens: Audistis, quia dictum est antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, &c. Item patet hoc ipsum ad Rom. 12. Nulli malum pro malo reddente. Et 1. Pet. 3. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis.

Quoad alteram vero partem, scilicet quod teneamur diligere inimicos, & eis benefacere tempore necessitatis, probatur quoque eadem maior ex scriptura. Proverb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, & si situerit, potum da illi. Quod preceptum reperit etiam D. Paulus ad Rom. 12. Item ex prima epistola Petri, cap. 3. vbi iubemur etiam benedicere e contrario inimicos, sicut paulo ante citauimus.

Præterea probatur eadem maior, quoad utramque partem, ratione. Nam omnis proximus, ut sepe dictum est, est ex charitate diligendus: sed inimicus est etiam proximus, cum habeat capacitatem ad beatitudinem, atque adeo etiam ordinem quendam ad diuinam bonitatem, quæ est obiectum formale charitatis: Ergo inimicus etiam est ex charitate diligendus.

Sed cum dicimus, inimicos esse etiam actu diligendos tempore necessitatis, atque adeo in preparatione quadam animi, ut D. Thom. inquit art. 9. obseruandum est, dupliciter incidere posse tempus illud necessitatis: Vno modo per se, quantum est ex natura ipsius charitatis, scilicet cum ipse inimicus indiget: Altero modo per accidens, ratione videlicet scandali, aut ipsius inimici, aut aliorum, si quo casu obcurrat, nisi inimicum aliquibus beneuolentia aut charitatis argumentis prosequamur. Et utroque necessitatis tempore sine dubio ex charitate inimicus diligendus est etiam actu.

Hæc pauca ex grauissimo Theologo, cui ceteri similia scribunt, Ut appareat nulla conscientia, aut re. Adami Conzen in Euang. T. m. l.

ligione scripturas à sectariis tractari, sed in omnem calumniandi occasionem intentos, hoc vnum agere, ut populum teneant, & doctores veritatis reddant exosos. Interim ad libros prouoco, & probationem tam iniquæ accusationis coram Deo hominibusque exposco.

VERSVS 45.

Vt sitis filii patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

QUESTIO I.

An non sit filius Dei, qui non amat inimicum?

§. 1. **A**rgumentatio Christi est; non esse filios genitos, & veros Dei, nisi quos dilectio inimicorum patri similes facit. *Quos genos, ut sitis, seu fiat. Ille enim & amicis, & inimicis benefacit. Egregie hunc in locum Caluinus commentatur. [Quum diserte pronunciet, non aliter quenquam fore Dei filium, nisi qui ocores suos diligit, quis iam dicere audeat nulla huius doctrinæ seruandæ necessitate nos obstringi? Peius enim est, ac si dixisset, Quisquis censeat volent Christianus, inimico diligat. Horribile sane potentum, quod mundus tam densis tenebris per tria vel quatuor secula obrutus fuerit, ut non videret diserte iuberi, quod quisquis negligit, ex numero filiorum Dei expungitur.]*

Mihi horrendum sane portentum videtur Caluinum ita tenebris obrutum, ut non videret ad salutem esse necessariam dilectionem, nec magis se vitæ æternæ certum esse, quam sit dilectionis. Nisi enim inmutabili fide sibi persuadeat; Inimicos se diligere, eosque usque ad extremum spiritum esse amaturum, non potest certus esse de salute; quæ sine hac conditione nulli contingit. Si enim hanc legem negligit, de numero filiorum Dei, ut ipse ait, expungitur. Christum ait, ab effectu probare non alios esse Dei filios, nisi qui ipsum mansuetudine & clementia referunt. Si ratio Christi efficax est, ut est sane efficacissima, vox æternæ veritatis; nos quoque eodem modo iudicare oportet. Hic quero primum, cum neget Caluinus ex operibus nos reddi certiores de electione, cur Christus hic ostendat, non posse nos sine operibus de nostra salute constare? Deinde vnde certus sit, futurum, ut mansuetudine & clementia semper Christum referat? Denique cum fateantur Calviniani se quotidie Dei præcepta transgredi, experientia etiam doceat, eos odii indulgere, cædes facere, rebellare. An etiam tales certi sint inimicos se diligere? Cum etiam amicos fallant, deprædentur, prodant, occidant.

VERSVS 46.

Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?

QUESTIO I.

Quæ sit dilectio publicanorum?

§. 1. **S**ola amicorum dilectione negat eos habituros mercedem; rationem dat; Quia publicani, & peccatores etiam amicos diligunt, nec mercedem habent. Loquitur igitur Dominus de naturali amico. *Dilectio publicanorum mercedis expers est.*